



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

19. Præsumens de misericordia Divina plus periculi habet ejus amittendæ, quàm spei obtinendæ. Temeritatem dixerim Diabolicam, non virtutem Theologicam.

20. Spes certa vicaria possessionis est, & præcox dominium. Miles Alexandri omni possessione in patria relicta, roganti, quid sibi reservaret: *Spem* inquit *acquirendorum*. Rem mundi omnem non ægre dimiserit, cui spes est melioris indipiscendæ in cœlo. Totum licèt abjecerit, adhuc habiturus est abunde.

DECAS III.

21. Obstupescimus Alexandri animum, ambientis non unius orbis possessionem. Amplius aliquid audet Spes Christiana; tentat etiam occupare cœlum.

22. Nimiùm se abjicit, qui temporalium bonorum vel spem sibi facit, vel alit. Rusticum votum hoc est, non mentis ingenuæ; & qui cœlum ob ista fatigat, præsumit uti Deo, quasi trapezitâ suæ cupiditatis.

23. Non tanti est mundum universum lucreris, quàm si salutem tuam expetas per merita Christi. Si perseveranter id e-

geris, jam poſſeſſor es cœli: adeò æquè certum eſt conſequi, ac petiſſe. Quid plura? dei verbum eſt pollicentis ſe daturum, Quod ille affirmat, veritas eſt infallibilis, quod ſpondet, certa ſecuritas.

24. Fallax eſt ſpes omnis humana, certioſiorem fideiſuſſorem non habet, quàm, quæ pro ea ſpondet, fortunam. Vide cui baſi inſiſtat? Quàm firmioribus longè ſuſtentaculis innititur ſpes Divina! Bonitati Numinis, meritis Redemptoris, & patrocinio Virginis.

25. Sat bene dotatum filium relinquit pater, qui in campo occumbens militaris officii ſcribit hæredem: indè enim Reges obſtringi ſolent ad præmiandum. Hæreditas noſtra ſunt merita Chriſti, per illam obligamus Deum ad remunerandum, quidquid agimus.

26. Diligere Deum multorum eſt, verè diligere paucorum. Amare enim arduum nemo dixerit; aſt amare ſuper omnia, hîc punctum, & difficultas. Illud ad ſummum dixerim bene velle, hoc verè amare; ad quod facilitandum ſola valet gratia Divina.

27. Ama-

27. Amare, à quo non possis amari, erroris est: amare à quo possis non amari, periculi: amare à quo non possis non amari, si ames, securissimæ est felicitatis. Porrò errorem illum reperias in amore temporalium, periculum in amore hominum, securitatem in amore Dei.

28. Amare Deum, quia creavit nos, observantia est filialis: amare eundem quia redemit nos, obligatio est servilis: amare illum, quia cœlo donaturus est, lucrum est gloriosum: amare, quia nobis bonus est, benevolentia justa: amare, quia est, qui est, subtilitas amoris, complectens nomina omnia, observantiæ, obligationis, lucri, gratitudinis, benevolentia, & respectûs.

29. Fides est fenestra cœli, spes scala, charitas sola ascendit, & cælum subintrat. Per fidem intuemur à longè quæ orbis alter obtecta tenet, Per spem elevamur à terra, ut subeamus cœlum. Per charitatem ingredimur.

30. Christus est titulus gloriæ, & syngrapha nostræ salutis. Prò quanti æstimatur folium unicum divite censu inscriptum!

ptum! & quâ non ſolet ſolicitudine affer-
vari! Non minorem curam, aut æſtima-
tionem nobis imponat pretioſiſſima cha-
ritas, cui inſerta eſt executio prædeſtina-
tionis noſtræ.

DECAS IV.

31. Eſſe infame habet culpa, omnem
ſuperans malitiæ nomenclaturam, Pœna
potest eſſe horribilis, at non mala. Pecca-
tum malitiâ excedit barathrum inferorû.
Non eſt exaggeratio, quod Anſelmus di-
cebat, ſed obligatio Chriſtiana. *Si una, in-
quit, parte ſeſe objiceret peccati ſeditas, altera
terreret inferni horribilitas, cogererque alteru-
trum ſuſtinere, prius me ad inferna devolverem,
quàm peccati labem admitterem.* Maluiſſet
nempe abſque peccati noxa ſubire infer-
num, quàm contractâ maculâ cœlo recipi.

32. Amor ſpolium eſt Divinitatis: me-
retur totum, quidquid eſt Dei. Odium
pro Lancea habet, quo peccatum confi-
git. Hoc tam horribile monſtrum nemo
propè acceſſerit: feriendum eſt à longè,
id eſt, quâ nocere conſuevit, occasio tol-
lenda. Proderit hîc Parthorum ingenio
uti, id eſt fugiendo ferire.

33. Ban-